UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XLI. Rectene bi Clerici, isti Laici appellentur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

AVTOR. Vera eſt CONFESSIO de Veritate Eccleſiæ Romanæ, Ethnicorum, Iudæorum, Hæreticorum, Turcarum. &c.

XIV. LVTHERO-CALVINISTARVM, omniumque hoſtium Eccleſiæ, infelix ſemper exitus fuit.

XV. Felix autem Proſperitas, cum Deo, Eccleſiæ veræ fuit, eſt, erit.

VII. DE CLERICIS.

QVÆSTIO XLI.

Rectène hi Clerici, iſti Laici appellentur?

LVTHERO-CALVINISTÆ, quod rem attinet, haud negant, miniſterium Verbi & Sacramentorum non ex æquo ad omnes pertinere: vocem tamen Cleri auerſantur.

LVTHERVS lib de abroganda Miſſa priuata, par. 1. *Quod noſtra translatio habet:* Non dominantes in Cleris, *interpretis incuria fuit, qua fecit, in Clerum hoc loco intelligerent, quos nunc à Laicis diſcreuit impia hominum traditio.* Infra. *Hoc dixiſſe contenti ſumus: Chriſtianum populum eſſe ſimplicem; in quo prorſus nulla ſecta, nulla differentia perſonarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus vnctus, nullus raſus, nullus Monachus eſſe debeat.*

CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 4. §. 9. *Hæc appellatio aut errore, aut certè ex praua affectione nata eſt: cùm tota Eccleſia Clerus, id eſt, hæreditas Domini, à Petro dicatur:* Idem ad 1. Pet. 5. *Vtinam Patribus nunquam veniſſet in mentem, vt hac voce vterentur.* Gal. 3. *Omnes enim vos Vnum eſtis in Chriſto Ieſu.*

AVTOR. I. Diſtinctio Clericorum & Laicorum eſt omnino Chriſti, Ioa. 15. *Ego elegi vos*, ſcil. è turba. 2. Eſt Apoſtolica, 1. Pet. 5. *Non Dominantes in Cleris.* 3. Eſt Canonica in deſcriptis à S. Clemente Canonibus Apoſtolorum, *Can. 3. 12. 15.* 4. Eſt ea antiquiſſimorum Patrum, & Conciliorum: apud *Bellarm. lib. de Clericis c. 1.*

II. Vnitas & Simplicitas populi Chriſtiani eſt, quæ deſcribitur Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Vt vnum dicant, idem ſentiant, & non ſint in eis ſchiſmata. Hæc ſimplicitas procul à Lutherocaluiniſtis exulat. 2. Nec Cleri & Populi diſtinctio cum Vnitate ea pugnat magis, quam membrorum diuerſitas cum Corporis Vnitate. 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus; vbi auditus? &c. Et ſi omnia eſſent vnum membrum, vbi Corpus? Nunc autem multa ſunt membra, vnum autem corpus.* 3. S. Petrus voce, *Cleri*, alludit ad Leuitas, *Deut. 18. Num. 18.* à quibus ſors natiuitatis tranſiit ad Chriſtianos ſorte Electionis.

SVASIONES contrariæ ex his corruunt vltrò.

QVÆSTIO XLII.

Ius Eligendi, Ordinandiq́ue Paſtores, ſeu Miniſtros eſtne Populi, an Epiſcoporum?

LVTHERVS *lib. de poteſt. Papæ* Illyricus & Centuriatores, Brentius, & Kemnitius &c. Itemque CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 3. §. 15. *Habemus eſſe hanc Legitimam ex Verbo Dei Miniſtri vocationem,* 1. *Vbi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei.* 2. *Præeſſe autem Electioni debent Paſtores: ne quid per leuitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Volunt igitur: *Vocare & Eligere* Populi eſſe, Iure diuino; non Papæ, non Principis, non Canonicorum: 1. Ordinare